

benedictiones Monialium, vasorum, & vestium, consecrationes altarium, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Porro si Episcopi, vel alii Ecclesiarum rectores in monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententias promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu in benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam decernimus irritandam. Nec literæ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis, & contra indulta Apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Præterea cum commune terræ interdictum fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis, & interdictis divina officia celebrare. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordine vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactio-
 30
 40
 50
 60

num a regibus, & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Signat. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Ep.

Ego Petrus tit. s. Marcelli Presb. Cardin. Ego Petrus Alimen. Ep. Ego Ricardus S. Angeli Diac. Card. Ego Frater Johannes tit. S. Laurentii in Lucin. Presb. Card. Ego Johannes S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card. Dat. Januæ per manum magistri Marini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii VI. idus junii, indictione VIII., Incarna-

tionis Dominicæ anno MCCLI. Pontificatus vero Domini Innocentii P.P. III. anno octavo.

Fuit electus die 26. junii, qua de re VI. id. junii erat octavus annus ejus summi Pontificatus.

Exemptio capituli Aquensis a generali interdicto ab Innocentio IV. concessa.

MCCLI.

210

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis capituli Aquensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii Alberti de Incisa Cappellani nostri Procuratoris Aquensis Ecclesiæ precibus inclinati auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut tempore generalis interdicti possitis non pulsatis campanis, & januis clausis voce submissa, excommunicatis, & interdictis exclusis, Divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, vel id vobis non contingat specialiter interdicti. Nulli ergo ec. Dat. Perusiæ quarto cal. decembris Pontificatus nostri anno 9.

Donatio Ecclesiæ s. Philippi monasterio de Latronorio cum reservatione Canonis.

MCCLIII.

211

Anno Dom. Nativit. MCCLIII., indictione XI. die Sabati 7. junii. In Aquis sub ulmo de Cattelto D. Henricus Electus Aquensis de consensu omnium fratrum suorum, qui erant præsentis in civitate, videlicet D. Lotterii Præpositi, & Rufini Archipresbiteri Aquensis, ac DD. Presbiteri Brumi, Oglerii, & Henrici Canonorum, nec non etiam ipsi fratres residentes pro capitulo Aquensi in civitate sua mera, & spontanea voluntate, ac pro remedio animarum suarum, atque intuitu religionis dederunt, concesserunt, cesserunt, tradiderunt, & obtulerunt fratri Nicolæ Converso, & Sindico Monasterii S. Mariæ de Latronorio, sicut constat per publicum instrumentum factum manu Manuelis Notarii sub. MCCLIII., indictione XI., die III. exeunte madio recipienti nomine dicti Monasterii de Ordine Cisterciensi Ecclesiam S. Filippi de Predasco sitam in Aquensi Diocesi cum omnibus possessionibus, juribus, & actionibus, universisque pertinentiis ad prædictam Ecclesiam de jure spectantibus, & demum cum omnibus rebus, terris cultis, & incultis, domibus, pratis, vineis, gerbis, nemoribus domesticis, & silvestribus, sive salvaticis pascuis, ruinis, rupibus, rivis, & omnibus aliis quocumque modo ad dictam Ecclesiam pertinentibus, & spectantibus. Eo modo facta est hæc cessio, concessio, & oblatio, ut superscriptus Syndicus nomine dicti Monasterii, nec non & D. Alda Abbatis dicti monasterii, & conventus ejusdem monasterii, & moniales, qui sibi successerint in futurum, habeant, teneant jam dictam Ecclesiam S. Filippi cum omnibus rationibus, juribus, & pertinentiis suis, & faciant ex ea, & ex eis tamquam de loco religioso, & ad locum religiosum pertinentibus quidquid facere voluerint sine contradictione supradictorum dominorum electi, & capituli Aquensis, ac omnium successorum suorum. Et ibidem superscripti dominus